

294

31

I. N. D. N. J. C.

de

# Amore Parentum,

Superiorum Permissu,

*Praeside Viro Clarissimo,*

Dn. M. Jacobo Thomasio, P.P. &c.

Dn. Avunculo suo Honoratissimo,

*disputabit*

*d. 15. Sept. in Majori Principum Colleg.*

*horis consu.*


Joh. Heinricus Alberti, LL. Cult.

A. & R.

---

Lipsiæ Typis Wittigianis, A. C. 1666.

*Le Capron. Phil. Br.*



# Viris Summis atqve Celeberrimis,

DN. AUGUSTI-  
NO Strauchen/

JC. Comiti Palatino  
Cæsareo, Sereniss. ac  
Potentiss. Electoris  
Saxon. Consiliario  
Intimo, & jam ad Co-  
mitia Ratisbonensia

Legato:

DN. SALOMONI  
Zapffen/

JC. Sereniss. Ducis  
Saxo-Zicensis Con-  
siliario Aulico, &  
Consistoriali:

Affnibus:

Parenti:

Ibi Avunculo, Huic

Patruo:

DN. JOHANNI  
THOMÆ,

JC. Toparchæ in  
Wiedersberg / Illu-  
striss. Dominor. Ru-  
thonum à Plaviâ Can-  
cellario & Consilia-  
rio, Consistorii, qvod

geræ est, Præsidi,

Gymnasii ibidem In-  
spectori Primario, &  
jam Sacrae Cæsar.  
Majestatis Commis-  
sario Subdelegato  
Culmbaci:

Juris Practico, Il-  
lustr. Gymnasii qvod  
geræ est, Provisori  
fidelissimo

DN. CASPARO  
ALBERTI,

Singulis

câ, qvâ par est, observantiâ colendis,  
hoc Exercitium Academ.

D. D. D.

Auctor.

**D**E naturali dum scribis amore Parentum,  
Spes Magni, Alberti, deliciaqve Patris;  
Publicè & in cathedrâ, Musis plaudentibus, edis  
Doctrinæ Specimen non sine laude tuæ:  
Gratulor ex animô, perge, ac augebis amorem,  
Augebisqve Tui gaudia magna Patris.

**D. Johannes Ittigius, Phys. P.P.**  
*Acad. p.t.Rector.*

**F**ama mihi: Juvenis Patrium benè dixit Amorem,  
At ego: qui dixit Patris Amor fuerit.

*amorē q̄dīasī fac boni oīmīs causā*

**D. Joh. Ad. Scherzerus, P.P.**

**C**onatum laudo. Sophiam conjugē Themistī:  
Sic non vulgaris Te comitabit honor.  
Porrò viam, tenuis hac quam summa es laude secutus,  
Care mihi Alberti, Tu modo qvæso tere.  
Nam sibi multa (scio) Res jamjam publica spondet  
De cultō ingenio, de studiōqve Tuo.


*Pereximio ac Doctissimo Domino Respondenti  
ita gratulatur*

**Amadeus Eckolt J. U. D. &**  
*Prof. Publ.*

**C**ur Patrii nondum flamas expertus Amoris,  
Tâm vehemens audes scribere quid sit amor?  
An, qvia de Magni radius fervore Parentis  
Excipitur, doctum Te calor iste facit?  
Sic speculum vultū jubar exprimit: aurea Phœbi  
Sic facies liquidis effigiatur aquis.  
Eallor an Ipse novo, tua cùm, Cognate, videbit  
Munera, se tangi sentiet Igne Parens?

*Gratulationis ergo apponeb.*

**PRÆSES.**



I. N. D. N. J. C.

§. 1,

Morem paternum Cabalistæ tri-  
buunt etiam cælo versus sublinaria,  
tanquam parentibus versus procre-  
ata, ut Leo Hebræus Dial. 2. de  
amore. f. 393.

*Horsuym'a.*



§. 2. Cum qvibus concinunt ē  
Gentilibus Platonici atqve Poëtæ.  
Et huc maximè facit insignis iste

locus apud Virgil. II. Georg. v. 325. seqq.

Tum pater omnipotens fæcundis imbris  
ether

Conjugis in gremium letæ descendit ♂ o-  
mnes

Magnus alit magno commissus corpore fæ-  
tus ♂ c.

§. 3. Neqve negamus, posse inclinationem illam ali-  
quo sensu amorem dici, perinde ut Philosophi appetitum  
naturalem tribuunt plantis & inanimatis. Sed ut appe-  
titus iste, sic & amor talis est metaphoricē dictus.

§. 4. Metaphoricum qvoqve conjugium est, qvod  
cælo cum terrâ intercedere credebant veteres, deqvi-  
bus. Arist. I. de gener, animal, c. 2. Εν τῷ ὄλῳ τῇ

A                    τῆς

τῆς γῆς Φύσιν, ὡς θῆλυ, καὶ μητέρες νομίζουσιν,  
δραγοὺν δὲ, καὶ ἔι τι τῶν ἄλλων τῶν τοιότων, ὡς  
γεννῶντας καὶ πατέρες ωραγορεύουσι.

§. 5. Ratio, quia pater & mater propriè dicti locum  
non habent, nisi in sexu propriè dicto. Talis autem sexus  
cælo & terra non convenit.

§. 6. Etsi enim dicas, cœlum ex se, terram in se ge-  
nerare; tamen non procreant sibi simile, quod ad sexum  
propriè dictum reqviritur.

*Quoniamq[ue] sit* §. 7. Amor itaq[ue] paternus non nisi in brutis & homini-  
nibus occurrit, si verè loqvaris & propriè.

§. 8. In brutis qvidem toto die spectamus, quām non  
modò de victu & habitatione pullis suis prospiciant, ve-  
rūm etiam ab omni externa vi eos defendere laborent.

§. 9. Unde Salvator ipse curam suam pro Judæis  
susceptam declarare volens, se cum Gallinâ comparat,  
pullos sub alas congregante, Matth. XXIII. 23.

*Et Turtur & Ciconia*  
*Prolem, parentes, comparem*  
*Miris amant affectibus, canit Georg. Fabr. I. 2.*  
Carm. deq[ue] Ciconiâ Alciatus:

*Aërio insignis pietate Ciconia nido*  
*In vestes pullos, pignora grata, fovet. Eml. 30.*

Non tamen qui in brutis, sed qui amor paternus in homini-  
ne conspicitur, huic Dissertationi proprius esto.

*Quoniamq[ue]* §. 10. Descriptio hujus amoris qualiscunq[ue], latet in  
ipsis verbis. Amor enim generis vicem sustinet. In voce  
autem Parentum est specificatio quædam à subjecto.

§. 11. Si cui amor genus aliquantò remotius esse vide-  
bitur,

bitur, ejus loco substituat Græcorum vocem *σοργήν*, quæ *Sororina*.  
præcisè ad amorem ex sanguine provenientem restringi-  
tur. Latinis pietatis vocula heic etiam placet. Gutberl.  
Path. c. 8. th. 2.

§. 12. Dari verò hunc affectum in homine reverà, vel *An fit.*  
ista collectione stabilitur, quod quicquid perfectionis  
est in brutis, id in homine multò magis esse credatur.

§. 13. Qvam verē autem brutis amor iste tribuatur,  
præter modò dicta, etiam insigniora documenta com-  
probant. Notari meretur, quod evenisse Delphi, ex Poëta  
Musio refert Opmerus, histor. Mart. Dec. II, lib. 3. ubi  
incendiō exortō Ciconia qvædam, vehementi amoris  
hujus stimulo instigata, nido, quem ibi struxerat, & pullis  
periclitantibus auxiliatura ad volavit, sed cum frustrane-  
um videret omnem suum conatum eos eximendi flam-  
mis, sponte se ipsam in ignem conjecit,

*Malens honeste commori  
Qvam non pia esse, & vivere.*

ut sunt Poëtæ verba,

§. 14. Ita Plinius de Asino abjectissimo animantium,  
ad fœtū per ignes etiam tendente, memorat I. IIIX. c. 43.

§. 15. Eidem rei præter quotidiana, singularia quoque  
exempla fidem faciunt. Notum est Zaleuci factum, qui  
pro filio sibi ipsi alterum oculorum eripi passus, egre-  
gium & Justitiae & amoris Paterni specimen reliquit,  
Ælian. I. XIII. Var. cap. 24.

§. 16. Ptolemaium quoque Regem Ægypti, quid aliud  
fecit regnum, nec morbo, nec alia urgente causā, ultrò fi-  
lio natu adhuc minori cedere, quam mirabilis hujus amo-  
ris, potentia, dum majori se gaudio affici credidit, si Regis

A 2 pater

pater, qvām si ipse Rex haberetur. Fulgos. lib. 5. c. 7. Plura exempla sparsim inferius sequentur.

§. 17. Etiam gentes Barbaras affectus nostri teneritudo tangit. Ex Ferdin. Mendez. Pinto de captâ Reginâ quadâ Indicâ, & ad mortem cum liberis condemnatâ refertur, qvām per Deos hominesq;e carnificem obtestata ea fuerit, ne liberos ante, qvām se, trucidaret.

Francis.  
Diss. p. m.  
975.

§. 18. Hoc ipso etiam affectu nituntur, qvæ de filio ante patrem, & in conspectu ejus, torqvendô, jura statuerunt. Dn. Carpz. ( qvod de Rep. pariter & Jurisprudentiâ meritissimum sicut his diebus mors beatæ ac placida oculis nostris eripuit,) Criminal. p. II. qvæst. 124. Affectus item hujus certitudo sapientissimo Regum celebrem illam sententiam subministravit procul dubio, qvam duabus fœminis de uno filio, utri adjudicandus esset, controversantibus, pronunciavit, i. Reg. 3.

Diss. I. §. 19. Distinguimus autem primò hunc Amorem à principio efficiente in statum Naturalem & Moralem. Dum Moralem voco, solum rectum intelligo, non corruptum, qviodium potius vocari meretur.

§. 20. Differunt hi duo status iisdem ferè modis, qvibus Philavtiā Naturalem à rectâ distinxit honoratissimus meus Avunculus Praeses, in Disp. de Philavtiâ §. 17. & seqq. *vñ e et'aa iti. s. yo.*

§. 21. Nimirum statum Naturalem Natura, qvatenus hæc à Ratione distingvitur; Moralem recta ratio efficit ac dirigit. Ille etiam in brutis; hic tantum in Hominibus locum habet. Ille, qvà talis, non habet perfectionem virtutis Moralis; hic habet.

§. 22. Illa verò virtus Moralis vocatur Amicitia Patris ad filium, & Ludov. Vivilib. 3. de an. p. m. 217. est veri &

ri & germani amoris, qualem inter se amici colunt, specimen omnium manifestissimum.

§. 23. Consistit autem in certâ mediocritate, quæ hinc ab excessu, illinc à defectu se removet. Qvare eriam est difficultas.

§. 24. Mediocritas hæc in eō ponitur præcipue, ut pater filium diligat amore non concupiscentia, sed amicitia; h. e. intendat primariò non suum, sed filii bonum & qvidem verum atque constans.

§. 25. Id qvod maximè in bonâ educatione situm videtur: quæ hinc à Plutarcho de pueror. institutione, no-  
2, 4, 5.  
bilitati, divitiis, gloriæ, sanitati atque robori longè præ-  
fertur, & μόνον ἐν ήμιν ἀθάνατον, καὶ θεῖον appella-  
tur. Siqvidem mens, cuius perfectionem intendit ma-  
ximè institutio, est δόξῃ μὲν αὐτοῦ τοσ, συνοφε-  
τίᾳ δὲ αὐτοῦ φρέστος, & quæ porrò ad hujus præroga-  
tivam addit modò ciratus Autor.

§. 26. Quanto magis igitur de tali institutione libe-  
rorum solliciti sunt parentes, tanto propius ad veram ami-  
citiam atque mediocritatem accedunt.

§. 27. Et affectus hic à mediocritate gubernatus du-  
bio procul fundamentum est omnium officiorum, quæ  
& parentibus versus filius præscribi solent: & ab iis quo-  
que sincerissimi amoris impulsu liberis præstantur.

§. 28. Eoque ipso vel sacratissima Jura in suis sanctio-  
nibus nituntur passim. Exempla videmus in. l. 22. §. 4.  
D. ad L. Iol. item in Testamentariâ Tutelâ, tit. Instit. &  
D. de Tut. præcipue vero in N. 118. c. 5. ubi à communī  
regulâ, l. i. C. quando mul. tut. off. quæ tutelæ admini-  
strationem viris tantum impertit, nova constitutione Ma-

A 3 ter &

ter & Avia, hujus affectus intuitu, excipiuntur. *Quis enim talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum?* vel cui alii credendum est, res liberorum gubernandas, parentibus derelictus? Sunt verbal. ult. C. de cur. fur.

§. 29. Hæc de mediocritate ipsâ. *Excessus* est & vocatur nimia indulgentia. Hujus exempla ubivis reperias, in Sacris Eli, i. Sam. c. 3. & 4. Cujus contemplatione Romani fratribus liberos educandos credebant, teste Gvazzo. de civ. convers. disl. 5.

§. 30. *Defectus* in niminâ severitate consistit. Circa hunc Saul, Jûdæorum Regem peccavisse non negaverim, qvis suum egregiæ virtutis filium, nisi obstatisset populus, vel ipsa morte multare haud dubitasset. i Sam. 14.

§. 31. Uterque, Excessus & Defectus, est amor ille *moralis corruptus*, qvem §. 19. odium rectius vocari diximus. Verum enim est, qvod Plutarch. supra cit. lib. ait: Τὸ λιαν φιλεῖν τὰ μη φιλεῖν αἴτιον. Hinc & Gvaz zus indulgentes patres, *Homicidas liberorum* justa ratione appellat, de civ. conv. p. m. 410.

§. 32. Simulacra ut amoris bene morati, sic utriusque extremi, etiam in *brutis* habemus. *Excessum* enim simia representat, qvæ præ nimiò amore catulos suos amplexatur, sed & maximam partem ita interficit, teste Plinio, I. lIIX. c. 54.

§. 33. *Defectum* corvis, pullorum curam non prius agentibus, qvam plumâ prorumpente nigrescere illi, & hoc modò patrissare incipient, affingimus quidem magis ex vulgata opinione, qvam verè tribuimus, vide Gabr. Röllenhagen in merci würdigen Lügen / cap. 21.

§. 34. Porro uterque vitiosus amor, non est *amicitia*, | sed

| sed concupiscentia. Diligit enim talis parens, si accuratē rem consideres, non bonum filii, sed suum.

§. 35. Bonum vero illud, qvō occœcati liberorum fortonam negligere parentes solent, si de excessu, h. e. de ni-miā indulgentiā sermo sit, est voluptas qvædam sensitiva parentum, qvæ amicitiam non honestam, sed jucundam duntaxat producit.

§. 36. Fons voluptatis sensitivæ, quam dixi, in eō situs est, si parentibus magis jucunda sint filiorum bona corporis & inconstantia bona, quam animi, & vera seu constantia.

§. 37. Tale bonūm, sed apparenſ ſaltem, eſt, ſi filii permittantur ſuo arbitrio: tum enim & ipſi hilari erunt facie, &, quamdiu tales ſunt, emollitis parentum animis nunquam, ut videtur, mœrorem injicient. Sed ſerò tan- dem aliqando pœnitentia utrosque inſeqvitur.

§. 38. Si de severitate seu defectu hujus amoris qvæſtio ſit, tunc bonum, qvod peccare parentes, & curam filiorum poſthabere facit, in propriâ parentum utilitate locamus.

§. 39. Tales enim liberos ſuos diligant, atque cūrant, quādiu & quatenus ſibi utile eſt, vel fore ſperatur: quan-do vero proprium commodum hinc periclitari ſentiunt, ſimul omnem fidelitatem exuunt atque amore.

§. 40. Exemplum perillustre ſuccurrit in Bodin. Dæmon. l. 3. c. 2. ubi de patre qvodam devotato refer-tus, qvōd, cūm veneficiis ſuis remedium non inveniri, ni-ſi malum in filiolum adhuc lactentem vellet transferri, à p̄ſtigiatore ad reſtituendam sanitatem accerſitō, intelli-geret, non dubitaverit conſentire in hoc nefandum conſi-lium. Qvod tamen ne efficeretur, Nutrix, magis ita, quam

qvām ipse genitor, filii amans impedivit, ut pluribus lo-  
cō alleg. videri potest. *citat Tracyc. Lat. 6. f. n. 551.*

§. 41. Neqve ob aliam causam Herodes Antipas fi-  
liis, Aristobulo & Alexandro ipsam vitam ademit, qvām  
quod falsā suspicione perīvaderetur, commodum per  
eos suum, hoc est regni administrationem, periclitari.  
Hinc Augusti jocus dictitare soliti, malle se Herodis  
porcum, qvām filium esse. Fulgos. lib. V. c. 8.

§. 42. In hunc censum gentes illas meritò referi-  
mus, apud quas olim fuit liberum recens natos sive  
exponere aut enecare, sive suscipere atque alere, pro-  
ut nimirum è re suā fore cuilibet videretur. Quem  
morem prolixius perseqvitur Lips. Cent. 1. ad Belg.  
Epist. 85.

§. 43. Aristoteles quidem l. VII. Polit. c. m. 16. cir-  
ca hanc consuetudinem aliquando mitius sentit, dum  
primò expositionem ad manca & debilia ( $\pi\epsilon\pi\eta\zeta\omega-$   
 $\mu\acute{e}va$ ) restringit, deinde, si cui augeretur prolium nu-  
merus, quem sibi definiverat, abortum procurari jubet,  
priusquam in vitam veniant. Neqve tamen hæc rectius.  
Et miror, quod hæc pro lege in bene constitutâ Rep. ita  
vult observari. Sed est Ethnicus.

§. 44. Magis ergò miror, quod idem asserere è  
Christianis Philosophis ausus fuerit Hobbesius, cui  
quippe mater eum, qui modò nascitur, ve educare, vel  
exponere, suo arbitrio & jure potest. Quem justè per-  
stringit quodammodo Honorat, mihi Avunc. in Disp.  
de Patr. potest.

§. 45. Habuimus, qui exponunt propter utilitatem  
liberos; dabimus & qui desiderant propter turpe com-  
modum,

modum, in eodem iudicio cum praecedentibus docti.  
Mendicum quendam hominem, qui de iterando con-  
jugio mentionem fecerat, ab assistantium aliquo roga-  
tum aliquando fuisse recordor: ad secunda vota cur  
ita properaret, cum vix tamen sibi soli de victu prospic-  
cere posset, quomodo ergo conjugi, & futoris liberis:  
illum autem respondisse: ie mehr ich kleiner Kinder ha-  
be/ie mehr sie mir erbetteln müssen/oder ich wolte ihnen  
die Hälse brechen.

§. 46. Honestus certe liberorum usus, & dignus,  
ob quem eorum copia exceptetur. Illi tamen ex Men-  
dorum ordine adhuc severiorem debent castigatio-  
nem, qui prolem, quam integrum progenerarunt, pro-  
pter commodum, jam non proprium modo, sed ipsius  
prolis quoque, ne scilicet fortunatam mendicandi vi-  
tam, ceu ipsi ajunt, deserere aliquando animum impru-  
denter inducat, ipsi data operâ, si famæ populari fides  
est, primô amplexu debilitant.

§. 47. Ex dictis patet, defectum magis à medio-  
critate recedere, quam excessum, quia progreditur in-  
terdum in odium manifestum, quod nullum planè ha-  
bet amoris colorem. Hinc vel internecina bella pa-  
rentes adversus liberos decrevisse non semel in historiis  
reperimus.

§. 48. Ad secundam distinctionem hujus amoris pro-  
cedimus, eumque consideramus vel in statu misericordiae,  
vel in statu liberalitatis.

§. 49. Misericordiae statum voco, cum diliguntur li-  
beri, non quia digni sunt amore, aut suis meritis à pa-  
rentibus eum quodammodo provocare possunt; sed

B qvia

qvia indigi sunt, atqve extremā suā miseriā affectū paternum commovent, perituri omnino, aut præsens & grave incommodum subituri, nisi misericordia auxiliū qve parentū iis subveniret.

§. 50. Inqve hoc Misericordiæ statu à liberis vi. eissim deberi parentibꝫ videtur obsequium obedientiæ; sicut in statu liberalitatis obsequium amicitiæ.

§. 51. Statum verò liberalitat̄ appello eum, quando diliguntur liberi, non modò propter indigentiam exadhærente adhuc imperfectione qvalicunqve, sed etiam propter dignitatem qvandam, ex meritis seu virtutibus moralibꝫ, qvales in filium cadere possunt, profluentem.

§. 52. Locum status Misericordiæ habet maximè in eâ filii ætate, qvâ ipse adhuc vivit, ut animal, eoqve virtute & meritis caret, qvæ est ætas infantilis, vel puerilis, ultra qvam bruta amorein paternum planè non extendunt.

§. 53. Status Liberalitatis pertinet ad ætatem filii paulatim adolescentem, & justis virtutibus se commendantem magis & magis.

§. 54. Ratio, cur Liberalitatis vocabulo statum hunc insigniam, illa est, qvia, tametsi in eō mutua qvædam esse potest utilitas, aut commercium saltem gratiæ collocandæ, & agnoscendæ, proqve viribus referendæ; ( sicuti agmen per qvam gratorum liborum habes apud Sen. III. de benef. c. 33. & 37. ) major tamen utilitas ad filium, qvam Patrem redundat.

Ergo

Ergò atque pater liberalis est, qvia plus dat, qvām accipit.

s. 55. Hæc ita prænoscí voluimus. Qvibūs præmissis contemplari nunc porrò amorem parentum juxta singula causarum genera non inconveniens methodi negotium fuerit.

s. 56. Materia per se facilè intelligitur. Subiectum enim hujus amoris est uterque parens. Nam qvod in brutis ferè affectus ille penes solam matrem conspicitur, defectus facit conjugiorum.

s. 57. Et tamen reperias genera in his qvædam, in qvibus consuetudo sexus certo pari diuturnior & sape usqve ad vitæ terminum porrecta, qvandam conjugii speciem repræsentat. Atqve in his non minus masculini, qvām fœmini sexus parentem affectus hujus participem deprehendas.

s. 58. Tām Leonem, qvam Leænam pullorum mortem in ursō interfectorē ultos fuisse, notum est ex Älianī var. hist. Leonem verò etiam citra coitionis tempus Leænæ associari, non obscurè colligo ex his, qvæ de illo, sociæ adulterium exploranti, refert Plin. l. II X. c. 16.

s. 59. Maximè hoc videoas in columbis, de qvibas quotidiana constat experientia, qvam fideliter communem domum servare, sed & communi cura columbulis suis prospicere soleant.

s. 60. Objectum hujus affectus sunt liberi utriusqve sexus.

s. 61. Ex veritō etiam congressu qvi liberos suscipiunt, si debitum affectum eis denegent, scelere scelus cumulare intelliguntur.

§. 62. Ex parte materiæ habet amicitia parentum ad filios, ut sit *inæqualis*, hoc est superiorum versus inferiores.

§. 63. Maximè locum habet hæc inæqualitas, dum filius est in ætate infantili constitutus, & educatione, cæterisq; parentum subsidiis maximè indiget.

§. 64. Aliqvō tamen modō etiam dūrat ista inæqualitas, cum filius jamjam adolevit. Nunquam enim eodem tempore exæquabit ætate parentes.

§. 65. Dūrabit ergo inæqualitas & veneratio, ex parte filii hinc descendens ea, qvalis seni à júniore, ut sic, debetur.

§. 66. Insuper nunquam beneficia parentū æquabunt liberi: ergo semper habebunt se ad ipsos, ut beneficiarii ad benefactores; tametsi Seneca 3. de benef. c. m. 29. ut & seqq. disputet fieri posse, ut liberi meliora beneficia parentibus suis tribuant, si & fortuna illis major esset, & melior voluntas.

§. 67. His adde, qvòd in primæ infantiæ statu ne possunt quidem liberi redamare parentes amore humanō; qvomodo ergo beneficia sibi exhibita retribuere?

*Causa efficiens* §. 68. Hæc de materia. *Causa efficiens* amoris paterni est vel originaria vel accessoria. §. 69.

originaria §. 69. Originariam non dubitamus Philavtiā facere.

§. 70. Hanc autem duplicem constituimus, Naturalem nempe & Moralem; sicut & ipsum Amorem Paternum distinximus in statum Naturalem & Moralem. §. 19. Hujus itaq; causam efficientem originariam dicimus

Phi-

Philavtiā Moralem sive Rectam esse : illius verò causa  
est Philavtia Naturalis.

s. 71. In utraqve Philavtiā cognoscit pater filium es-  
se suam non modò partem, sed & effectum; ideoque n*t. s. 91.*  
diligit.

s. 72. Qvæ cūm ita sint, qværas, cur sæp enumerò pa-  
rentes, se ipsos, ut proles conservetur, perdere videamus.

s. 73. Igitur probè heic observandum, in utrâqve  
Philavtiā includi etiam Φιλοθεῖαν seu Θεοφιλίαν,  
qvæ non in voluptatem dirigitur, sed in honestatem di-  
vinæ voluntati conformem, ita ut creaturæ non dubitent,  
præ illa honestate & suum commodum & voluptatem  
negligere.

s. 74. Qvod & innoit pientissimus Arndius lib. iii.  
Wahr. Christenth. c. 7. dum inquit: Eine iede Creatur  
liebet Gott mehr/ als sich selbst/in dem sie Gottes Ge-  
bot ausrichtet/ und sich selbst darüber verzehret.

s. 75. Includi Θεοφιλίαν in Φιλαυτίᾳ patet inde,  
quia omnis Φιλαυτίᾳ tendit in bonum suum & maxi-  
mè in maximum. Maximum autem Creaturæ coju-  
vis bonum est, conformare se voluntati divinæ pro eō  
modò seu facultate, qvæ data est cuilibet creaturæ.

s. 76. Atque hunc in modum etiam bruta, dum pullo-  
rum sæpe vitam propriâ morte redimunt, voluntati divi-  
næ morē gerere, & sic amorem Dei amori proprio ante-  
ferre videntur. Eadem enim divinæ voluntati, qvæ vult, ut  
veteribus individuali senio deficientibus paulatim  
tandemque; extinctis, nova subinde succedant, & hoc pacto  
species conservetur, etiam hoc est consentaneum, ut

in casu necessitatis vitam filiorum anteponant parentes suæ.

s. 77. Atque hoc nimis est ita seipsum amare, ut amore illum *GeoPhiλία* moderetur, justisq;e terminis coērceat. Qvæ moderatio in eō consistit, ut creatura magis velit, si alterum ab alterō se jungatur, attemperare se voluntati divinæ, & eam vel cum gaudio exeqvi, vel sine repugnantia pati, qvām se ipsam conservare, in statu existentia.

s. 78. Hanc *GeoPhiλία* etiam in brutis, adeoq;e & in Philavtiâ Naturali prævalere, patet inde, qvia mortem Naturalem bruta absq;e dolore excipiunt, ut obseruat Gvillelm. Parisiensis, tractatu cur Deus homo, Tom. II. operum fol. 74. Cujus verba non gravabimur adscribere: *Neg. verisimile est, inquit, naturam brutalem invitam atq; repugnantem mortem accipere, nisi forte violenta sit ei illata.* Sed si senio E naturali resolutione adveniat, omnino eam nihil molesti habere verisimile est.

s. 79. Id qvod ad hominem quoq;e transferri video morte naturali viventium numero eximendum, qvæ ita nempe accidit, ut calidum naturale, non vi externa aut humorum pravorum abundantia suppressor, sed successiva & tempestiva humidi radicalis absmedine tandem deficiat, lampadis instar, cujus flammula, oleo tanquam pabulo absunto, leniter ac placide extinguitur, ut pulchre hāc de re differitur ab Auctore tractatus der Mässigkeit wolleben p.m. 110. 130. usq;e 134. inqve adjunctis Cornelii Erinnerungen / p. 75. & 160.

s. 80. Verum in hoc toto negotio distingvendum nobis est inter *GeoPhiλία* materialem & formalem, seu adumbra-

umbratam & vivam. Umbra quādam amoris versus  
Deum in Philavtiā naturali est, conseqventer & in brutis.  
Vivum autem in homine, quā tali, & Philavtiā rectā de-  
prehendes.

s. 81. Interim ex sapientissima Dei dispositione ni-  
hil sui ipsius tam vehementer amans est, ut non malit  
sui in individuo interitum pati, quam universam Na-  
turam perturbari, aut divinam circa hanc ordinationem  
ac voluntatem minus expediri.

s. 82. Ex hoc ergo principio non difficulter ostendi-  
potest, cur parentes pro sobole mori, etiam violenter,  
gestiant, quia natura quasi ipsa intendit diutius con-  
servare sobolem, quam parentes; seu, naturaliter de-  
bent parentibus superstites esse filii.

s. 83. Unde & jCti dicunt, quando contra evenit,  
Naturae ordinem turbari, & tunc parentes in bona li-  
berorum succedere, non ordine naturae, sed ex com-  
miseratione: liberos è contrariò ad parentum haeredi-  
tatem ex voto parentum & naturae venire, l. 15. pr. ff.  
de inoff. test.

s. 84. Ratio quoque, cur parentes Nepotum ma-  
gis sint, quam filiorum amantes, inter alias ea ipsa da-  
tur, quia filii naturae ordine prius moriuntur, à Gvazzo  
in dial. de civ. convers.

s. 85. Huc quadrare videtur, quod de cane vivâ  
sectâ notabiliter refert Reald. Columbus de re Ana-  
tom. lib. 14. p. 475. Ipsa ejus verba apponam. Illud, "inquit, nunquam credidisse, quod videns obstupescet: Mo-  
rientem matrem catulorum, quos Anatomicus ab ejus utero  
abstraxit, majorem curam gerere, quam suimet. Nam si co-  
ram

ram ipsâ filium lâdis, latrat, vociferatur; sin illum ori ipsius  
admoveas, silet, atque magna pietate lambit. Qvod si aliud,  
non catellus, ori ejus, quam secas, matris accedat, rabie per-  
cita mordet: quem naturæ amorem, atque adeò parentum in  
liberos incredibilem caritatem in publicis theatris maxima  
spectatorum admiratione, saepius ostendi. Hactenus ille.

§. 86. Adeò *Φιλαγαθία* seu *Φιλοθεία* adhæret Philavtiæ Naturali & qvè ac Rectæ, ut mortis etiam violentæ dolores nihil parentes curent, præ voluptate, qvæ ab iis ex incolumente fœtus percipitur, qvæqve, ut diximus, super honestatem & *Φιλοθεία* fundata est.

*accessoria* §. 87. Tantum de causa originariâ. *Accessoria* est consuetudo, qvæ parentibus cum liberis intercedit quotidiè, item filiorum proborum obsequium, & in bonô profectus.

*Funa.* §. 88. Ab effidente causâ ad formam paterni amoris progredior. Ea vero considerari potest vel in quantitate seu magnitudine, vel in qualitate seu perfectione. §. 88.

*Quarilias.* §. 89. Magnitudo estimatur ex comparatione. Comparatur verò vel amor parentum cum aliis amoriibus, vel ejus una species cum altera, vel unus status cum altero.

§. 90. De his omnibus notari poterunt Theorematæ sequentia. Theorema I. *Amor parentum est amor maximum inter amores humanos in aequalium.*

§. 91. Ratio Theorematis est, qvia filii inter inæquales maximè sunt pars parentum: item maximè sunt effectus parentum, qvoad educationem tûm corporis, tûm animi. Adde, qvod, si rectè educati sint, naturaliter <sup>sup. 57.</sup> si millimi

millimi quoque fiunt parentibus probis, ac tales h. l. im-  
primis consideramus.

§. 92. Cæterum non sine causâ dixi: inter inæquales  
esse amorem hunc maximum, ut salva sua quoque sit ex-  
cellentia amori conjugali, qui maximus est inter amores  
æqualem, vel quasi.

§. 93. Imo vero sunt etiam, qui conjugali amori sim-  
pliciter primas partes paterni quoque comparatione de-  
ferunt, ut Chrysostomus apud Rittershusium lib. III. sac.  
lect. c. 18. huic opinioni pariter faventem.

§. 94. In eandem sententiam differit quoque Muso-  
nius apud Stobæum, in Eclog. Eth. c. 65. f. 411, causamque  
allegat, maximam rerum omnium, ipsorumque adeò cor-  
porum pariter atque animorum communionem. Quid  
& exemplo Admeti pugnat, cui cum divinitus offerretur,  
ut duplum ætatis sibi destinatae viveret, si quem suo loco  
moriturum exhiberet: parentes quidem licet decrepiti  
mortem pro ipso subire detrectaverunt, uxor autem Al-  
cestis, valde juvenis adhuc, promta fuit ad moriendum  
pro marito. Haud absimilia profert apud eundem Sto-  
bæum f. 415. Antipater.

§. 95. E diversâ parte conjugalem amorem post pa-  
ternum multis parasangis relinqui statuunt Accursius &  
Bartolus, citante Arniseo cap. 4. Relect. Polit. sect. 2. n.  
57. p. 151.

§. 96. Quod autem idem Arniseus pag. seq. asserit,  
Bartolum contrarium sibi alibi assertere, quod multi conju-  
ges impensis se se, quam liberos ament: in eo fortasse de-  
fendi Bartolus à contradictione possit. Qui enim  
amandi istum ordinem à multis inverti testatur, is tacite  
simul

C

simul afferit, neadiqvam hoc ab omnibus fieri: ut omit-  
tam, distingvi etiam posse inter ea, qvæ facti sunt & qvæ  
juris, sive rationis.

§. 97. Manet nihilominus pugna inter auctores diver-  
sos, qvorum alii, cum de maximo amore qværitur, pro  
conjugali pronunciant, alii pro paterno.

§. 98. Nobis per-difficile videtur, tantas lites de-  
cidere. Itaqve amicæ compositioni studebimus po-  
tiùs. Quid enim, si dicamus, duo ista amorum ge-  
nera, cum alterum ab altero certâ qvâdam ratione de-  
pendeat, illiqve arcanis naturæ nexibus implicatum sit,  
opponi minimè inter se, aut in mutuum certamen  
compelli debere?

§. 99. Enimverò sic est. Conjogum amor incendi-  
tor procreatis liberis, in qvibüs uterque & suum & con-  
jugis sanguinem complectitur. Vicissim tantò cuique  
sua est carior soboles, quantò tenerius magis qve sin-  
cerè conjugem diligit. Id qvod adeò verum est, ut pri-  
vigni etiam propter parentem amentur, si quidem a-  
mor conjugalis ille sit, qvi esse debet, h. e. amicitia  
non concupiscentia. Qvòd aliter evenit vulgo, cor-  
ruptio naturæ est, qvæ nos ad perfectionem intentos mo-  
rari non debet.

§. 100. Conjungamus ergo duos hos amores potiùs  
qvàm divellamus. Sic ipse fecit Antipater paulo ante  
allegatus, cui cum maximè pugnare vellet pro principa-  
tu amoris conjugalis super paternum, hæc tamen exci-  
derunt verba: συμβέβηκε δέ καὶ τὸν μὴ πεῖσαι  
ἐσχηκότα γαμετῆς γυναικὸς καὶ τέκνων, ὅγεινον  
εἴναι τῆς ἀληθινοτάτης καὶ γυνησίς ἐυνοίας. Pro-  
fecto

fecto quisquis uxorem & liberos non expertus est, verissimam & genuinam benevolentiam iugorat.

§. 101. Sic passim faciunt imperatores bellici, cùm conjugum & què ac liberorum amorem pugnaturis militibus tanquam facem injiciunt. Fridericus Barbarossa apud Guntherum lib. VII. v. 376.

--- --- --- *Si dulcia pignora natos  
Plorantesq; domi liquistis sponte puellas,  
Nunc iisdem causis ultrices acriter iras  
In tumidos Latii depromite nominis hostes.*

§. 102. Conjugunt & Politici, cum vetant cælibes gubernaculis Reip. admovere, eò qvôd nec conjugem nec liberos habeant pignora amoris in Remp. qvorum causâ eam amant, Piccart. in Polit. Arist. p. 688. Quidam hæc Philippi Melancht. consonant Annot. in Evang. Dom. II. post Epiph. (Tom. III. Oper. f. 29.) Conjugium implicat homines negotiis. Parentes cupiunt tradere posteris Ecclesiam & Rempublicam, ideo multò magis afficiuntur curâ Reip. & Ecclesia, quâm ceteri, qui nec liberos nec conuges habent, nisi sint summi viri, ut Christus, Elias, Paulus.

§. 103. Ex eodem fonte illa profluxit eorum ratio, qvi Henrico III. Galliæ Regi Anno 1588. post cædem Heinrici Ducis Gvifsi sadebant, ne fratri ejus Cardinali parceret, qvippe nulla illum conjugii dulcedine, nullis libero- rum illecebris, nullis caritatibus, quæ humaniores homines redunt, tangi, proinde neminem esse in omni familiâ, quem acriorem ultorem Rex metuere debeat, Thuano teste lib. XCIII. f. 248.

§. 104. Hæc omnia simul eò tendunt, ut intelligatur, nulli amori plus esse in hominem imperii, quâm quo liberos

beros suis quisque & conjugem prosequitur : ut adeo  
qui his veluti clavis non est Reip. affixus, de ejus fide at-  
que constantiam sit aliquam ratione dubitandum.

§. 105. Theorema II. *Amor parentum in filios major est,*  
*quam filiorum in parentes.*

§. 106. Benè observavit Vives de anim. p. m. 224.  
quod amor, et si natura sit ignea, tamen descendat. Un-  
de flamas ajunt in insignibus Nobilium pingi culpi-  
bus deorsum flexis.

§. 107. Itaque plures reperias patres, qui pro filiis,  
quam filios, qui pro parentibus vitæ periculum adierint.  
Hincque proficiuntur admiranda moderatio & indul-  
gentia, quam erga filios degeneres sæpen numero utuntur  
parentes.

§. 108. Præ omnibus memorabilis est illius à Val.  
Max. l. V. c. 9. adducti patris clementia, qui cum à filio  
necti sibi insidias comperisset, in locum desertum filium  
perduxit, gladium, quem secum occultum attulerat, tra-  
dedit, ac jugulum ferendum præbuit; nec veneno nec  
latrone ei ad peragendum parricidium opus esse, dixit.  
Quam etiam moderatione liqefactus filii animus resipuit,  
ut pluribus videri potest loc. cit.

§. 109. Ratio verò Theorematis hujus est, *quia pater*  
*est perfectior.* Ergo utique magis benefacit, conse-  
quenter etiam magis amat. Lege quam lib. IX. Nic. c. 7.  
disterit Philosophus.

§. 110. Cui etiam adde, quod melius certiusque paren-  
tessciunt, liberos esse partem & effectum suum, quam hoc  
liberi cognoscunt; quodque omnium optimè norunt  
præterea, quanti constiterit, procreavisse illos atque  
educasse.

§. III.

§. III. **Theorema III.** *Amor matrum calidior est, propter impetum naturalem, sed amor patrum sincerior, propter perfectionem moralem.* Atque secundum hoc interpretabimur versiculum Menandri.

"Εσιν δὲ μήτηρ Φιλότευνος μᾶλλον πατερός.

§. II2. Calidiorem autem matribus affectum insevit Natura, qvia in gestatione, parturitione, educatione plus est molestiæ devorandum matri. Ergo ne molestiis talibus avocari se matres paterentur ab officio, Deus matribus majoris amoris flamas indidit.

§. II3. Causa verò, qvòd amor patrum sincerior, est, qvia ordinariè pater in moralibus est perfectior, qvàm mater.

§. II4. **Theorema IV.** *Status amorū parentum naturalis est calidior, moralis sincerior.* Ex precedentibus hoc ultrò patescit.

§. II5. **Theorema V.** *Amor in statu Misericordia videatur esse major, qvàm in statu liberalitatis.* Igitur & matres magis curant unum ægrotantem filium, qvàm decem alios sanos. Confer parabolam de Patre filii prodigi.

§. II6. Ratio est, qvia in statu misericordia amor excitatur à dolore miseriæ, qvæ in filio conspicitur. Talis stimulus autem est vehementissimus, neqve in amore liberalitatis existit.

§. II7. Nota tamen, certò modò etiam Amorem liberalitatis, h. e. in Adultos benè educatos majorem esse. Ratio, qvia iidem perfectiores. Itaque plus dolens de morte filii educati, qvàm infantis, qvia major dolore est ex amissione boni majoris.

C 3

§. II8.

*Auctio* 118. Qvod ad qualitatem seu perfectionem attinet, jam supra §. 24. dictum est Amorem Moralem esse amo- rem non concupiscentiae, sed amicitiae. Hinc est nimirum, qvòd ut filiis consulant parentes, vel mortem ipsi subire non recusant.

*Finis*

§. 119. Nunc denique ad causam finalē. Finis Amo- ris paterni considerari potest, velex parte Hominis, vel Dei.

§. 120. Homo in statu amoris hujus moralis intendit haut dubiè bonum filii magis quam suum, ut patet è præ- cedentibus.

§. 121. Deus verò statui Naturali has σογγιας indidit duas maximè ob causas.

§. 122. Primò ut species eò melius propagetur. Sita enim est propagatio in bona educatione sobolis. Ad hanc verò stimulus parentibus est ille intensus amor.

§. 123. Ethic finis est Physicus, & ab Ethnico quoque Philosopho Platone agnoscitur, 3. de leg. inqviante: Oportet parentes gignere & educare liberos, qui vitam, tan- quam lampadem posteris tradant, ut semper sint, qui colant Deum, juxta ipsius legem.

§. 124. Nobis certè Christianis constat, quam seve- rè divinum Numen passim inculcaverit parentibus, Ju- dæis maximè, ut liberis suis seu posteris mirabilia, bene- facta, & præcepta divina prædicent, anteque oculos ponant.

§. 125. Et educationis bonæ maxima pars est in pie- tatis exercitiō posita. Qvin & pietate majorū posteri ut plurimum fruuntur, verumque est illud Theocriti: εὐσεβέων παιδεσι τὰ λαϊα, δυνεστέων δ' ὁ πiorum  
liberi

liberi semper feliciores sunt, quam impiorum. Qvam sententiam à primis patribus acceptam esse non dubitat Decimator in Lexico sub voce Liberi.

§. 126. Alter ex parte Dei finis est *Theologicus*; Ut in hoc amore, tanquam speculo intueamur magnitudinem amoris divini erga nos. Itaque Deus ipse comparat passim amorem suum amori parentum, tum qui se exerit in brutis, Matth. 23. v. 37. tum qui in hominibus Jes. 49. vers. 15.

§. 127. Edictis conficiamus hanc definitionem, dicamusque Amorem Parentum esse affectum benevolentiae, quem Natura inchoans, Ratioq; perficiens insevit Parentibus versus Liberos, recta horum educationis gratia. Hæc de Amore parentum in filios sufficient. Deo, qui verus est Pater omnium, qui filii vocantur, pro beneficiis omnibus plusquam paternis dictæ sunt o nobis devotæ gratiaz!

*Definitio.*

## COROLLARIA.

- I. Mendacium officiosum est licitum, non obstante, quod sit mendacium propriissime dictum.
- II. Scientiaz tñm theoreticæ, quam practicæ specificantur finibus.
- III. David de Dinanto seculi decimi tertii hereticus docuit, Deum esse materiam primam.

21419

mam. Qværes, hæresin tām absurdam qvid  
ipsi perludere potuerit? Thomas de Aqui-  
no ignorantia hoc tribuit lib. I. contrā gent.  
c. 17. qvia nesciverit, qvid inter differenti-  
am & diversitatem intersit. Sic enim fuisse ar-  
gumentatum: *Si Deus non esset idem, quod*  
*materia prima, oporteret ea differre ali-*  
*quibus differentiis, & sic non essent simpli-*  
*cia: nam in eo, quod per differentiam ab a-*  
*lio differt, ipsa differentia compositionem fa-*  
*cit.* Vero similius dicetur, fructum hunc  
fuisse tentatæ conciliationis inter Christia-  
nam Religionem & Ethnicismum. Negant  
Ethnici, Deum posse ex pure nihilo qvic-  
quam efficere: Ajunt ergo duo esse rerum  
omnium principia prima, Deum & materi-  
am. In utroqve illis contradicunt Christia-  
ni. Dinantius in priore articulo cum Ethni-  
cis sensit, in posteriore cum Christianis. Ex  
his duobus articulis ultrò secuta ipsi suit con-  
clusio, Deum rerum omnium simul efficien-  
tem esse causam, simul materiam.

**IV.** Studiosis Historiæ Philosophicæ & qvè fugi-  
endus est sectarum Gentilium, qvam Theo-  
logis Religionum Christianarum Syncre-  
tismus.

F I N I S.

DD A 6358



3


sb.

1017  
Ratio ✓

5 ♦ R

BRUNNEN

**Farbkarte #13**



B.I.G.

I. N. D. N. J. C.

de

# Amore Parentum,

Superiorum Permissu,

*Praeside Viro Clarissimo,*

Dn. M. Jacobo Thomasio, P.P.&c.

Dn. Avunculo suo Honoratissimo,

*disputabit*

*d. 15. Sept. in Majori Principum Colleg.*

*boris confv.*

Joh. Heinricus Alberti, LL.Cult.

A. & R.

---

Lipsiæ Typis Wittigianis, A. C. 1666.

*Le Capteur. Philo-Bac.*

31

